

263. *Solvitur obiectio contra hanc doctrinam.* — Nec obstat, quod c. *Ut commissi*, 12, h. t. dicatur privandi, vel privati nuntiandi; nam, uti bene advertunt doctores citati, ibi dictio vel, non disjunctive, sed expositive, seu declarative accipienda est, ut sensus sit, privandi, hoc est privati nuntiandi: idque ob dicenda infra.

264. *Et confirmatur consuetudine, et stylo curiæ romanæ.* — Confirmatur praxi, et consuetudine, quæ est optima legum interpretis, c. *Cum dilectus*, de *Consuetud.* præsertim quam observat stylus Curie Romanæ, utpote quæ pro lege haberi solet, arg. c. *Ex litteris*, de *Constit.* et c. *Quam gravi*, de *Crimine falsi*; atqui juxta consuetudinem et stylum Curie Romanæ hæreticus a die commissi criminis hæreseos censetur privatus beneficio, ita ut a lapsu in hæresin nulli amplius resignari, sed a quovis impetrari valeat, de quo stylo Sanchez, et Farinacius citati; ergo.

265. *Requiritur tamen sententia declaratoria criminis commissi.* — Illud tamen notandum, quod, licet ob lapsum in hæresin quis ipso jure privetur beneficiis prius obtentis; tamen ante sententiam criminis declaratoriam illud dimittere, et fructus post privationem ipso jure statutam perceptos restituere non teneatur. Farinacius, q. 189, n. 80; Sanchez, loc. cit. n. 7; Castro Palao, loc. cit. n. 5; Azorius, p. 1, lib. V, cap. VIII, q. 3. Ratio est, quia quocumque poena ipso jure lata etiam externam executionem requirit, tunc ad inducendam obligationem in conscientia requiritur sententia declaratoria criminis commissi, prout amplius diximus lib. I, tit. II, de *Constit.* a n. 227, arg. c. *Cum secundum*, 19, h. t. in 6.

266. *Hinc ob hæresin occultam nemo tenetur restituere beneficium prius rite obtentum.* — Infertur proin, privationem beneficiorum prius rite obtentorum locum non habere, quandiu hæresis manet occulta, licet cate-roquin vere sit externa in sensu n. 236 explicato; quia quandiu occulta est, declarari non potest, ut consideranti patet.

267. *Hæretici, eorumque receptores, defensores ipso jure privantur etiam sepultura ecclesiastica. Quid juris? si hæreticus in loco sacro sepelitur?* — Queritur VI. Quid juris circa privationem sepulturæ, quam hæresis inducit? Resp. I. Quicumque hæreticus, in hæresi notorie decedens, sicut etiam receptores, fautores, et defensores eorum

ipso jure privati existunt sepultura ecclesiastica, ut jam diximus lib. III, de *Sepulturis*, a n. 78, arg. c. *Sicut*, 8, h. t. et c. 2, eod. in 6, ubi ulterius disponitur, quid juris, si hæreticus in loco sacro sepelitur? ibi: « Quicumque hæreticos, credentes eis, receptores, defensores, vel fautores eorum scienter præsumserit ecclesiasticæ tradere sepulturæ, usque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententiæ se noverint subjacere. Nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publice extulment, et projiciant hujusmodi corpora damnatorum, et locus ille perpetua careat sepultura. » Vide etiam quæ diximus cit. lib. III, de *Sepultura*, n. 78.

268. *Filii, nepotes etiam catholici patris hæretici, soli autem matris hæreticæ filii sunt inhabiles ad officia, et beneficia ecclesiastica.* — Queritur VII, An etiam, et quas poenas spirituales incurrant filii, et nepotes hæreticorum? Resp. I. Tam filii, quam nepotes patris hæretici, soli autem filii, non item nepotes matris hæreticæ ipso jure sunt inhabiles ad officia, et beneficia ecclesiastica, et irregulares. Omnes ob clara jura c. *Quicumque*, 2, § *Hæretici*, h. t. in 6, cujus textum lege supra n. 256, et c. *Statutum*, 13, eod. in 6, ubi fidem repetitur, simulque additur: « Primum et secundum gradum (consequenter filios, et nepotes) per paternam lineam, per maternam vero ad primum (filios scilicet) duntaxat volumus hoc extendi. » Idem est de filiis et nepotibus credentis, receptatoris, defensoris, et fautoris alicujus hæretici; utpote de quibus præfata jura pariformiter loquuntur.

269. *Infertur: Filium matris hæreticæ esse inhabilem ad officia, et beneficia, ac ordines, etiamsi pater illius esset Catholicus; item filium, et nepotem patris esse inhabilem, etsi mater esset Catholica, uti post Glossam, in cit. c. Statutum. 13, h. t., in 6, §. Inane, bene advertit Farinacius, de Hæresi, q. 191, num. 63. Pirhing, h. t. n. 104, et alii.*

270. *Nisi parentes eorum ante mortem se convertant.* — Limitatur tamen conclusio in casu, quo parentes dictorum filiorum se convertunt, atque Ecclesiæ credunt, et obediunt, aut obedire parati sunt, ab eo enim tempore filii eorum ordinum, officiorum, et beneficiorum ecclesiasticorum, capaces sunt, sive dein ante, sive post conversionem eorum nati sint; prout satis clare dispositum

habetur cit. c. *Statutum*, 13, § *Hoc sane*, h. t., in 6, ibi: Hoc sane de filiis, et nepotibus hæreticorum credentium, et aliorum hujusmodi, qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur; intelligendum esse, videtur: non autem illorum, quos emendatos esse constiterit, et reincorporatos Ecclesiæ unitati, et pro culpa hujusmodi ad mandatum Ecclesiæ poenitentiam recepisse; quam ipsi vel jam perfecerunt, vel humiliter persecutioni ejus insistent, vel parati fuerint ad recipiendam eandem.

271. *Quamvis conversi parentes maneat adhuc inhabiles.* — Hinc Sanchez, lib. II, *Moral.*, cap. xxxvii, num. 6, bene advertit discrimen inter parentes hæreticos, credentes, etc. et descendentes illorum quoad hanc poenam, videlicet, quod parentes maneat ad cuncta officia, et beneficia ecclesiastica inhabiles, etiam postquam fuerint conversi, nisi dispensetur cum eis, per dicta n. 258. Filii vero illorum per parentum conversionem a poena hac inhabilitatis fiunt immunes; ita ut absque ulla dispensatione beneficium, vel ordines suscipere valeant.

272. *Sicut et conversorum filii, si sunt de relapsis in hæresin parentibus.* — Nisi sint de parentibus in hæresin relapsis, horum enim filii, sicut et parentes remanent inhabiles, etiamsi parentes hujusmodi denuo convertantur. Farinacius, de *Hæresi*, q. 191, num. 65. Anchoranus, in cit. c. *Statutum*, h. t. 1, num. 6, not. 3. Sanchez, lib. II, cap. xxvii, num. 23. Pirhing, h. t., num. 105, cum communi et probabiliori aliorum cum Glossa ibidem §. *Incorporatos*. Ratio est, quia ad hoc, ut filii hæreticorum sint habiles ad beneficia, duo requiruntur, videlicet I. Ut parentes eorum sint emendati, et conversi. II. Ut Ecclesiæ unitati sint incorporati, seu reconciliati: quod posterius deest in relapsis etiam poenitentibus; utpote, qui non obstante iterata conversione, et poenitentia illorum, sine ulla Ecclesiæ audientia puniendi relinquuntur Curie, et Potestati sæculari, textu expresso c. *Super eo*, 4, h. t., in 6, consequenter Ecclesiæ vere reconciliati, aut unitati ipsius incorporati non censentur; quamvis aliqui contrarium sentiant.

273. *Secundum aliquos filii et nepotes hæreticorum in Germania non sunt inhabiles ad beneficia.* — Nonnulli conclusionem ulterius quoad filios, et nepotes hæreticorum, receptorum, fautorum, etc., in Germania limitant; tum quia irregularitas, et inhabilitas ad

beneficia afficiens hæreticos videtur provenire ex radice infamiæ, cui de jure subjacent hæretici per dicenda infra num. 293, atqui in Germania hæretici infamia non laborant; utpote qui per fœdera et pacta publica, præsertim pacem monasteriensem et Osnabrugensem ab omni juris poena immunes, pari libertate, privilegio et favore cum Catholicis gaudent; ut proin causa et radice irregularitatis, et inhabilitatis ad beneficia in eis cessante, effectus quoque in eisdem cessare merito censeatur; arg. c. *Cum cessante causa*, 60, de *Appellat.* ibi: Cum cessante causa cessat effectus: Tum quia in eadem Germania juri contrario derogatum videtur per consuetudinem legitime præscriptam, c. *fin. de Consuetud.* et i. *De quibus*, 32, ff. de *Legib.* constat enim, tam ad ordines, quam ad beneficia sine difficultate, ac sine dispensatione admitti filios; et nepotes hæreticorum, eorumque defensorum, receptatorum, etc., in Germania. Quibus non obstantibus.

274. *Statuitur et probatur sententia contraria.* — Resp. II. Etiam in Germania, et Romano imperio filii, ac nepotes hæreticorum ipso jure sunt irregulares, et inhabiles ad dignitates, beneficia, et officia ecclesiastica, nisi alicubi consuetudo legitime præscripta in contrarium existat, et prout juris, probari valeat. Ita communissima doctorum etiam Germanorum, utpote qui indistincte et sine exceptione Germanorum docent, filios et nepotes omnium hæreticorum esse irregulares, et inhabiles ad beneficia et officia ecclesiastica: Conclusio, loquendo de iure communi est certa, prout ipsi fatentur adversarii; eo, quod jus universaliter, et sine ulla distinctione omnes hæreticorum filios, et nepotes præfate irregularitati et inhabilitati subiciat; juris autem verba generaliter sunt intelligenda, c. *Quia circa*, 22, de *Privileg.* et ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, per vulgaria. Hinc solum probandum, quod juri communi circa has poenas in Germania non fuerit derogatum per fundamenta ab adversariis allegata, publica videlicet pacta et fœdera infamiam abolentia, ac consuetudinem contrariam.

275. *Cui non derogant publica pacta et fœdera cum hæreticis in Germania vaita.* — Et quidem, quod per memorata publica fœdera et pacta principum Catholicorum cum hæreticis inita nullatenus SS. canonibus, et legibus ecclesiasticis, poenisque præsertim

spiritualibus per eas statutis fuerit derogatum, patet; quia laici in lege ecclesiastica, vel pœnis per eas latis dispensandis, vel per pacta, fœdera, et statuta illis derogandi, vel tollendi easdem, penitus nullam habent potestatem; cum respectu SS. canonum omnes Christi fideles etiam principes, imo et hæretici sint veri subditi, et teneantur eisdem, ut cum communi et certa aliorum supra lib. I, tit. II, de Constitut. § 12, diximus; consequenter pacta, et fœdera et statuta eorum contra canones nil valent, nisi ab Ecclesia acceptentur, et approbentur; atqui memorata pacta, et fœdera Catholicorum cum hæreticis contra leges et pœnas ecclesiasticas facta, ab Ecclesia non fuere acceptata, et approbata, sed potius positive reprobata, juxta dicta supra num. 154, ergo.

276. *Infamia non est causa ob quam hæreticorum filii sint irregulares et inhabiles.* — Confirmatur, quia si dato, non concesso per memorata fœdera, et pacta publica omnis etiam jure canonico inducta infamia fuisset sublata, tamen per hoc non esset sublata irregularitas, et inhabilitas ad beneficia, et officia ecclesiastica, eo quod pœna irregularitatis, et inhabilitatis ad beneficia ab Ecclesia non fuerit lata ob infamiam eorum, prout male, et sine fundamento supponit objectio, sed in odium hæresis, ad eamque avertendam, et extirpandam, ob quem finem ipsa quoque infamiae pœna in eos statuta est, quatenus nempe timore similium pœnarum deterriti alii ab hæresi sibi caveant, et alii ab eadem convertatur; ergo.

277. *Probatur ad hominem.* — Confirmatur: hæretici omnes etiam in Germania juxta ipsos quoque adversarios sunt irregulares, et inhabiles ad officia et beneficia ecclesiastica non obstante, quod juxta eosdem adversarios a pœna infamiae in Germania sint immunes; ergo infamia hæreticorum non est causa et radix irregularitatis et inhabilitatis ad eorumdem officia et beneficia ecclesiastica; consequenter etiam filii eorum sunt, et manent irregulares et inhabiles ad beneficia, etsi dato, non concesso ab omni juris infamia essent immunes.

278. *Non est universalis consuetudo in Germania admittendi hæreticorum filios ad beneficia.* — Probatur nunc etiam, quod neque per consuetudinem derogatum sit præfato juri communi quoad filios, et nepotes hæreticorum; tum quia de illa universaliter non

constat, nec universaliter pro Germ probari poterit, quod tamen requiritur hoc, ut effectum contra juris dispositionem universaliter habeat per dicta lib. I, tit. I § 6. Hinc etiam Papa casu ad Curiam suam delato, juxta dictam legem judicat, et filios nepotesque hæreticorum etiam in Germania irregulares et inhabiles ad beneficia declarat, uti testatur summe in his practicus Conradus, Prax. *Dispensat. apostol.* lib. III, cap. IV, a n. 1. ergo.

279. *Cum de contrario experientia constat.* — Accedit; in ipsa etiam Germania filios hæreticorum ut irregulares et inhabiles ad beneficia in praxi reputari; prout ipsi vidimus, dum quidam de nobilissima familia, et optime Catholicus ideo præcise, quia a matre hæretica, et in hæresi, defuncta erat genitus (patre ipsius tunc jam converso existente) non fuerit admissus, donec Roma dispensationem attulerit.

280. *Si alicubi viget dicta consuetudo legitime præscripta, valet, si probari potest: quod difficile est.* — Dicitur autem notanter in conclusione num. 274, posita: Nisi alicubi consuetudo legitime præscripta in contrarium existat, et prout juris probari valeat; cum enim pœna irregularitatis, et inhabilitatis ad Beneficia a sola Lege humana prove-niat, ei per consuetudinem legitime præscriptam derogatur in loco, ubi vere existit, arg. c. *fn. de Consuetud.* dummodo, prout juris, probari valeat; quod difficillimum est, ut constat ex dictis lib. tit. IV, de *Consuetud.*, § 7, per totum: ubi etiam num. 171, cum communi, et certa aliorum diximus, illum teneri probare consuetudinem, qui eam pro favore sui allegat, arg. l. 2, ff. de *Probat.* Porro per hoc, quod quis probat, consuetudinem existere in una vel altera diœcesi, aut provincia Germaniæ, non hoc ipso probat, eam etiam in alia diœcesi, vel tota Germania existere; cum vis et effectus consuetudinis contra legem in uno loco, aut diœcesi non se extendat ad alia loca, ubi dicta consuetudo nondum existit; per vulgaria, ut proin ex eo, quia in una vel altera Germaniæ diœcesi existit consuetudo, filios hæreticorum admittendi ad beneficia, universaliter inferri, et docere non possit, dicendo: In Germania filii, et nepotes hæreticorum non sunt inhabiles ad beneficia.

281. *Filii hæreticorum, etc., ipso facto etiam privantur beneficiis prius rite obtentis.* — Resp. III. Filii hæreticorum credentium,

receptatorum, defensorum, etc., non tantum sunt inhabiles ad officia, et beneficia ecclesiastica, sed insuper ipso jure etiam privantur iis prius rite obtentis. Doctores supra num. 262, citati; item Farinacius, de *Hæresi*, q. 191, num. 57. Joan. Andreas, in c. *Ut commissi*, 12, h. t., in 6. Guttierr., qq. can. lib. II, cap. fin. num. 38. Tum per jura et rationes ibidem adductas, præsertim ex cit. c. *Ut commissi*, 12, h. t., in 6, cujus textum vide supra citato num. 260, ibi: Eorumque filios, et nepotes, etc.

282. *Non tantum post, sed etiam ante lapsum parentum in hæresin rite obtentis, uti contra Sanchez et alios habet probabilior et juri conformior.* — Vult quidem Sanchez, lib. II, *Moral.*, cap. xxviii, num. 28. Abbas, in c. *Urgentis*, 10, num. 4, h. t., et ibi Felinus, num. 3. Menochius, consil. 805, num. 33. Clarus, § *Hæresis*, n. 14. Pirhing, h. t., n. 106, et plures alii a Sanchez, citati, filios hæreticorum privari quidem beneficiis obtentis post lapsum parentum in hæresin, non vero illis, quæ oblinuerunt ante parentum lapsum in hæresin: quam sententiam idem Sanchez pluribus probare conatur ibid.

283. Verum hæc sententia non caret difficultate ob c. *Ut commissi*, 12, h. t. ubi Papa pariter, et sine distinctione inter parentes hæreticos, et filios eorum loquitur de pœna privationis beneficiorum illos afficiente; atqui parentes privantur ipso jure beneficiis ante hæresin obtentis per dicta num. 262, ut ipsemet fatetur Sanchez, lib. II, cap. xxvi, num. 5, et seqq. ego etiam filii eorum.

284. Confirmatur: Sanchez, et alii supra n. 262, citati fatentur, alios hæreticorum privari beneficiis prius rite obtentis arg. cit. c. *Ut commissi*, 12, h. t., ergo necessario privantur beneficiis obtentis ante parentum lapsum in hæresin hoc ipso, quod post lapsum parentum in hæresin, et dum parentes isti sunt hæretici, beneficium aliquod rite et valide obtinere non valeant; cum talium parentum filii ipso jure sint inhabiles ad beneficium rite et valide obtinendum, juxta omnes per dicta supra n. 268, arg. c. *Quicumque*, 2, h. t. in §, consequenter, si filii ob hæresin parentum privantur beneficiis prius obtentis, necessario privari debent obtentis ante lapsum parentum.

285. Confirmatur alterius ex pluribus constitutionibus Pontificiis, quas refert San-

chez, lib. II, *Moral.*, cap. xxviii, num. 27, (ad quas tamen ibid. n. 37, etiam respondere, easque pro se interpretari conatur) ut proin sententia dicens, filios hæreticorum ipso facto privari beneficiis etiam ante lapsum parentum in hæresin obtentis, spectando jura, omnino probabilior videatur; quamvis etiam Sanchezii contraria sententia supra num. 282, allegata satis æqua et non improbabilis appareat, quam etiam tenent Abbas, in c. *Urgentis*, h. t., num. 4, et ibi Felinus, n. 3. Butr. n. 9. Covarruvias, *Variar. Resolut.*, lib. II, cap. viii, num. 4, in fine, et plures alii a Sanchez citati.

286. *Spiritualibus pœnis subjacent hæreticorum filii etiam ante lapsum parentum in hæresi nati.* — Resp. IV. Hactenus allegatis pœnis spiritualibus subjacent hæreticorum filii non tantum illi, qui post, sed etiam qui ante lapsum parentum in hæresin nati sunt. Farinacius, de *Hæresi*, q. 191, num. 52. Covarruvias, *Variar. Resolut.* lib. II, cap. viii, a num. 5, per totum, ubi relatis, et reprobatis contrariis fundamentis conclusionem late probat, Surdus, consil. 386, num. 7. Azorius, p. 1, lib. VIII, cap. xiii, *Rubrica de quarta hæreticor.* pœna, q. 8. Menochius, de *Præsumpt.*, lib. V, *Præsumpt.*, 33, a n. 17. Barbosa, in c. *Statutum*, 15, num. 3. Riccius, de *Jure personarum extra gremium existent.*, et plures alii citati a Sanchez, lib. II, cap. xxvii, n. 9. Estque sæpius decisum in Rota Romana, teste Farinacio, loc. cit., arg. c. *Vergentis*, 10, h. t., c. *Quicumque*, 2, et c. *Statutum*, 15, eod. in 6. Quæ et alia jura filios hæreticorum indistincte subjiciunt pœnis. Rationes pro hac sententia plures affert Sanchez, loc. cit., n. 9. Inter quas etiam sunt.

287. *Ut magis castigentur in filiis parentes. Filii innocentes ob delicta parentum divino et humano judicio puniri solent.* — Primo, ut ex filiorum pœna gravius supplicium sentiant parentes hæretici; quæ ratio æque, imo fortius militat de filiis ante, quam post delictum parentum natis, cum longe vehementior sit amor parentum in filios jam natos, utpote quos præ ocalis habent, quam in nascituros, quos non vident. Nec severitatem sapit, quod proles innocentes propter subsequens delictum parentum puniantur; nam contra est; tum quia juxta omnes, filii etiam innocentissimi et Catholici puniuntur propter antecedentem hæresin parentum; ergo etiam propter subsequentem, cum non

sit major ratio de parentum delicto antecedente, quam subsequente. Tum quia ipse Deus quoque filios ante delictum parentum natos, ob subsequens illorum delictum subinde punire solet, prout bene notat c. *Vergentis*, 40, h. t., ubi postquam de pœna filiorum parentis hæretici ordinationem fecit Papa, subjungit: Nec hujusmodi severitatis censuram orthodoxorum exhæreditatio filiorum, quasi cujusdam miserationis prætextu debet ullatenus impedire; cum in multis casibus, etiam secundum divinum iudicium, filii pro parentibus temporaliter puniatur.

288. *Probatur alia ratione.* — Secunda ratio est, quia jura præsumunt fore, ut filii imitentur mores parentum, arg. l. *Quisquis*, § *Filii*, c. *Ad Leg. Jul. majest.* et pluribus loc. cit. probat Sanchez.

289. *Et consuetudine legem interpretante.* — Accedit praxis, et consuetudo optima legum interpretes, l. *de Interpretatione*, ff. *de Legib.* vi cujus constat, etiam ante crimen hæresis natos filios hæreticorum puniri; de qua praxi plures etiam practici testantur doctores, in specie Simancas, *de Catholicis instit.* tit. XXIX, n. 22; Rojas, *de Hæret.* p. 2, n. 356. Pennas, etc. quibus, cum teste Sanchez, loc. cit. fuerint inquisitores fidei, utique credendum.

290. *Plures probabiliter cum Sanchez docent, filios hæreticorum ante eorum lapsum natos, non incurrere pœnas juris.* — Plures rationes et fundamenta hujus sententiæ, qui desiderat, videat apud Covarruviam, loc. cit. et Sanchez, loc. cit. a n. Qui tamen ultimus postquam longe lateque probavit nostræ conclusionis sententiam, n. 10 amplectatur, et usque ad finem probare conatur contrariam, videlicet filios hæreticorum natos arte hæresin pœnis juris non subjacere; quem, dato casu, pro favore talium filiorum legere poteris. (ADNOTATIO XXI.)

291. *Qui per preces hæretici beneficium obtinent, privantur sic obtento, et sunt inhabiles ad alia.* — Quæritur VIII. Quid juris de illis, qui ad preces vel recommendationem hæreticorum acquirunt beneficia? Resp. Illos ipso actu in perpetuum privari taliter acquisitis, et, si tale beneficium scienter, id est, scientes, eum, qui preces offert, esse hæreticum, ut explicat Glossa, in c. *Statim citandum*, §. *Scienter, acceperunt*, etiam ad alia fieri inhabiles, ita clare statuitur c. *Quicunque*, § *Ad hæc*, h. t. in 6, ibi: « Ad hæc

quoscunque viros ecclesiasticos, qui ad preces hujusmodi pestilentium personarum dignitates, personatus, et quæcunque alia ecclesiastica beneficia sunt adepti, ex tunc privamus taliter acquisitis; volentes, quod tales et habitis careant perpetuo, et si receperint illa scienter, ad alia vel similia nequaquam in posterum admittantur. »

§ VI.

DE PœNIS HÆRETICORUM TEMPORALIBUS, ET CORPORALIBUS.

292. *Pœnæ hæreticorum temporales in compendio referuntur.* — Pœnæ hæreticorum temporales in compendio sunt sequentes. I. Est infamia, et inde sequens inhabilitas ad omnes actus civiles. II. Intestabilitas tam activa, quam passiva. III. Amissio patriæ potestatis in filios. IV. Dotis, et aliorum privilegiorum mulieribus de jure concessorum. V. Confiscatio omnium honorum. VI. Quod vasalli et servi, aliique liberentur ab omnibus etiam juratis obligationibus domino, vel aliis debitis. VII. Pœnæ corporales, mortis præsertim, et perpetui carceris. De quibus omnibus specialia instituemus quæ sita. Hinc

293. *I. Est infamia, ad quam tamen requiritur sententia declaratoria judicis.* — Quæritur I. An, et qualiter hæretici contrahant pœnam infamiæ? Resp. I. Hæretici omnes sunt infames infamia juris. Communis, et certa, can. *Infames*, 17, cau. 6, q. 1, c. *Excommunicamus*, 13, § *Credentes*, h. t. et *Authent. Gazaros*, c. h. t. ibi: « Omnes hæreticos utriusque sexus quocunque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia. » Ad quam tamen incurrendam requiritur sententia non quidem condemnatoria, sed declaratoria criminis commissi, ut cum communi bene advertunt Sanchez, lib. II, *Moral.* cap. xxvi, n. 1; Azorius, p. 1, lib. VIII, cap. xiii, q. 8, § *Septima*; Pirhing, h. t. n. 52; Layman, lib. II, tr. I, cap. xvi, et alii.

294. *Nisi sit hæreticus notorie talis.* — Nisi crimen hæresis sit publicum, et notorium, tunc enim absque ulla sententia declaratoria ipso facto infamis est hæreticus, tamen, ut per conversionem iterum ipso facto aboleatur infamia, Sanchez, loc. cit. n. 2; Azorius, loc. cit.

295. *An, et qualiter pœna infamiæ afficiat*

fautores, defensores, etc. hæreticorum? — Resp. II. Pœna infamiæ etiam receptores, defensores, et fautores hæreticorum afficit, non ante tamen, quam fuerint declarati excommunicati, et ab eo tempore intra annum satisfacere contempserint. Textu claro cit. c. *Excommunicamus*, 13, § *Credentes*, h. t. ibi: « Credentes præterea, receptores, defensores et fautores hæreticorum excommunicamus, firmiter statuentes, ut postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit, ex tunc ipso jure sit factus infamis. » Ex quo textu patet, hujusmodi receptores, etc. ab infamia esse liberos, si intra annum satisfecerint.

296. *Hæretici sunt inhabiles ad officia, honores et actus civiles.* — Resp. III. Hæretici, eorumque receptatores, defensores, etc. sunt etiam inhabiles ad honores, officia publica, et omnes actus civiles, ita ut nec iudices, nec advocati, nec testes, nec consilarii, aut alii officiales, vel ministri publici esse valeant, Barbosa, in c. *Excommunicamus*, 13, h. t. a n. 25; Farinacius, *de Hæresi*, q. 89, a n. 43, eoque teste canonistæ omnes, arg. cit. c. *Excommunicamus*, 13, § *Credentes*, h. t. ubi potest textum n. præced. allegatum immediate subjungitur: « Nec ad publica officia, seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad hujusmodi, nec ad testimonium admittatur. » Concordat c. *Quicunque*, 2, § *Hæreticis*, eod. in 6, *Manichæos*, 4, l. *Que Samaritis*, 18, juncta *Authent. Credentes*, c. *de Hæreticis*. Quibus juribus etiam statuitur, quod si quis horum ad honorem, dignitatem, aut officium publicum assumatur, vel aliquem ex dictis actibus exerceat, omnia nulla et irrita esse.

297. *II. Pœna est intestabilitas activa et passiva.* — Quæritur II. An, et qualiter hæresis inducat pœnam intestabilitatis? Resp. I. Hæretici nec testamentum, nec codicillum, nec aliam voluntatem ultimam facere, nec hæredes institui, nec ex alia voluntate ultima quidquam capere, nec ab intestato succedere possunt. Communis, et certa, claris juribus cit. c. *Excommunicamus*, 13, § *Credentes*, h. t. ibi: « Sit etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis successionem accedat. » et l. *Manichæos*, 4, § 2 et § 3, c. h. t. ibi: « Ipsos quoque volumus amoveri ab omni libertate et successione, quolibet titulo veniente: » et infra § 5: « Ergo et scriptura illius irrita sit, sive testamento,

sive codicillo, sive epistola, sive quolibet alio genere reliquerit voluntatem. » Concordant. *Authent. Credentes*, et l. *Ariani*, et l. fin. c. eod. ibi: « Divinam nostram sanctionem, per quam jussimus, neminem errore hæreticorum constrictum hæreditatem, vel legatum, vel fideicommissum accipere, etiam in ultimis militis voluntatibus locum habere præcipimus, sive jure communi, sive militari testentur. »

298. *Etiam ad pias causas.* — Et quoniam præfata jura universaliter, et indistincte loquuntur, nec ad pias causas testari, vel ultimam aliquam voluntatem facere possunt hæretici. Farinacius, *de Hæresi*, q. 190, § 6, n. 92; Barbosa, in c. *Excommunicamus*, 13, h. t. n. 29; Pirhing, h. t. Nec militare testamentum concedere, l. fin. c. h. t. nec filios instituere valent, l. *Manichæos*, 4, § 6, c. h. t. ibi: « Sed nec filios, nec hæredes eis instituere, aut audire permittimus. »

299. *Quæ secundum aliquos primum post sententiam declaratoriam.* — Controversia autem est inter doctores, num hæc pœna intestabilitatis habeat locum etiam ante sententiam judicis condemnatoriam, vel declaratoriam? Sanchez enim lib. II, *Moral.* cap. xxiv, n. 3, et illum sequens Castro Palao, *de Fide*, tr. IV, disp. 3, pun. 26; Farinacius, *de Hæresi*, q. 1, 190, n. 89; Pirhing, h. t. n. 74, et alii volunt, testamentum hæretici ante sententiam judicis esse validum, posse tamen per sententiam invalidari, arg. c. *Excommunicamus*, § *Credentes*, h. t. ubi dicitur: sit intestabilis, quo verbo sit, temporis futuri sententiam ferendam importari, dicunt.

300. *Secundum probabiliorum vero ante illam obligat.* — E contra Barbosa, in c. *Excommunicamus*, h. t. n. 30; Covarruvias, in *Clem. Si furiosus*, p. 1, § 2, n. 2; Pennia, in *Director. inquisit.* p. 2, comment. 163; Peregrinus, *de Jure fisci*, lib. V, tit. I, n. 172, et alii docent, testamentum hæretici esse ipso jure nullum, ita, ut si sequatur sententia declaratoria criminis, effectus retrahatur ad diem commissi criminis, et ab illo censeatur testamentum nullum. Ratio est, quod, licet textus juris canonici interpretando trahi posset ad priorem sententiam, tamen jure civili clare sancitum habeatur, omnem ultimam voluntatem hæretici irritam esse, cit. l. *Manichæos*, 4, § 5, c. h. t. textum lege supra n. 297.

301. *III. Est privatio patriæ potestatis.* —